ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Per-illustri viro

D. Constantino Hugenio, Domino meo honorando, S. P. D.

Quod et liberius fortassis, et prolixius nuper rescripserim, Illustrissime virorum quam tuo famulum par erat, facilitas tua fecit; adeo ut et loquacior essem et confidentior: atque et modeste liber et libere modestus esse conatus fuerim; id si non assecutus fuero, errori veniam, nisi te jam dedisse scirem prius, quam ego vel per somnium petere cogitassem. Et sane mirum ni mihi ipsi quique festinanti errores nonnulli exciderint, dum ipse bellum, si dis placet, censorem ago: quod in adolescente quis non ferat, non conniveat? Juventutis enim factum hoc vitio, quam qui maturiam habet judicii, ne ille habet, quo carent omnes. Sunt multi enim hesitando turres aedificant Babylonicas, idem opus suum nunc struunt nunc destruunt. Sic haec aetas secum et cum judicio suo luctatur, vindicat, et veniam meretur, dummodo petat, et errorem, si agnoscat, non habet. Lamias enim ego odi profecto, quia oculos domi cum sunt, in loculis habent, at cum foris, in manu; et plus, me Hercle, erranti scire ignoscere, quam errare necesse est, alterum enim debent omnes, alterum potest nemo. Tu quidem, generose domine, (cujus ut supra judiciolum meum venditio, ita supra [illegible] ineptias indignatio est) et videns ignoscis, et ignoscis videndo.

Caeterum, quod ad mandata de statu studiorum tua, hucusque non responderim; non equidem veteres istas exsangues, ac frivolas purgatiunculas afferam, non fuit otium non erat tabellarii copia; quippe horum hoc mendacii foret, unde nimis nulla veri umbracula, nulla chromâ aut pigmentissa, aliave officia ne transferat, tincti tectique; Alterum etiam vel contempti sacrilegii, vel oscitantis neglecti imperii argueret. Imperii, cujus arbitrio otia mea omnia, omnia negotia qualiacunque caeterum sunt occupanda; sed neque hic latebras quaeram, quod valetudine per hosce dies parum constanti fuerim; nam dudum, si tu, pater patriae, vales, valeo; Verum id dicam, quod res est, cum te, ut in excelso generis et dignitatis positum, ita curis immensis undequaque circumvallatum, et religiose adiri, nec temere interpellari debere, scirem, nec ego interstrepere Ampl. V. occupationibus ausus sui, prius quam de singulis plenius, planiusque possem facere certiorem. Ac in Poesi quidem, Lemmata exercitii nobiliss. commilitonibus ex Ovidii Metamorphoseon libris praescribere soleo: Quod si placet, gaudeo, A. V.; sin minus, oro quamprimum vetare placeat. Ego certe non omnino absurde me id instituisse puto, quia simul fabulas nonnullas, hoc est antiquae sapientiae penetralia, jam nunc memoriae ita discunt imprimere. Exscribendam autem Eclog. III. poscentibus quoque eam prae caeteris, ut affiniorem suae aetati, et apertiorem, dedi: quam nunc plusquam dimidiam recitaverint. Analysin Rhetoricam ex Bucolicis vatum regis, dedimus. Qua jam secundo pressius auspicabimur. In Musica invidendos jam stupendosque profectus fecerunt; cui dici non potest, quantopere invadunt, incumbunt. imo, si nimia unquam possit esse diligentia, hic, ita me di bene ament, nimis laborare eos pronuntiarem. Sed vah! dum de lustro parabam scribere, una nuntiam abituriens nuntiatur; malui itaque imperfectam mittere epistolam potius, quam nullam: Vale Illustris Vir, Bono bonorum omnium et Reipubl. nate, ac caetera intra pios pauculos asservata.

Hagae-Com. Non. Sextilis. CIƆ IƆC XXXIX.

Ab Ampl. Illustr. V.
cliente humillimo
Henrico Brunone.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 5
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2196

Clementissimo Domino meo
Constantino Hugenio, Equiti, Toparchae in Zuijlichem,
Celsiss. Princip. à Consilijs et Secretis. Etc.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 5
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2196